

1511 miliano tueretur, facile repulsi sunt. Verum enim vero iis agitatibus rebus Julius, id quod existimaverat, ut capto Mirandula municipio aditus sibi ad Ferrariam oppugnandam eo ab latere patefieret, cum in dies singulos plus rem difficultatis habere animadvertisset, cogitare cœpit, si ab Ravennæ finibus in Ferrariensem agrum suas copias introduceret, castellumque, quod est in Padi ripa, quod Bastia appellatur, expugnaret, se facilius bellum posse conficere, præsertim reipublicæ classe duorum exercituum impressiones adjuvante: quam quidem classem audierat Volanæ ostium ingressam Alfonsi biremes duas cepisse, cum eas Maurus præfectus per tresdecim millium passuum iter contra cursum fluminis celeritate suorum remigum assequutus fuisset, navemque onerariam advenarum mercatorum, quam biremes illæ in mari expugnatam in ostium fluminis attraxerant, recuperavisse. Itaque moræ impatiens (erat autem inexplibilis etiam animi, & alias semper ex aliis res atque incœpta temere plerunque aggredientis) cogitata perficiendi spe, cum in reditu paucos dies Bononiæ fuisset, Ravennam proficiscitur, magno suarum copiarum & comitatus labore, difficillimo anni tempore, impeditissimis viis: nam reipublicæ copiarum in illis, in quibus erant locis, fere se omnes continuerunt. Sed aliter res, atque ipse sibi finxerat, cecidit. ubi enim Julii copiarum (erant autem equites graviores sexcenti, leviores quingenti, milites quater mille) castello appropinquaverunt, Alfonsus, qui se ad id comparaverat, eas fudit, interfectis captisque non paucis. Neque profuit quod Maurus classem reipublicæ plus quam centum diversi generis navium proximè castellum adduxisset, nonnullosque ex Alfonsi equitatu tormentorum pilis interfecisset. qui quidem Maurus postea, cum intellexisset ex amicorum reipublicæ literis, non unis in riparum inferiorum locis Alfonsum sua tormenta disponi mandavisse, ut classi noceret, sine ulla offensione ad fluminis ostium rediit.

Hac re intellecta, Galli apud Regium qui erant, iterum Carpos venerunt, flumenque Setiam factis pontibus
ite-